

Bl. 534, 64 Poëmata,

B. 1

II c
1856

ELISABETHA
IOAN. VUE,
STONIAE, X 18593/19
Anglæ,

*Virginis nobilissimæ
Poëtriæ celeberrimæ
Lingvarum plurimarum
peritissimæ,*

Studio ac operâ

G. Martini à Bald-
hofen, Silesii collecta &
amicis communicata.

Cum Gratia & Privilegio Cæs. Maiestatis.

Francofurti ad Oderam,

Typis Sciurinis.

ANNO 1602.





DE CARMINIBVS

Elisabethæ Ioannæ

V Vestoniæ poëtriæ Sua-
uissimæ.

E Sse nouem tantum Musas huc usq; putavi,
Nunc facit ut credam V Vestonis esse decem.
Carmina nam prorsus decantat Musica, prorsus
Mustea, Cecropijs carmina plena fauis.
Lesbia nunc cedat, cedat nunc Fuluia, cedant
Praxilla, Aspasia, & cum Telesilla, Anytè.
Vna omnes superat V Vestonis, dulce loquentem,
Pangentemq; Sopbi, dulce, stupent & a-
mant.

Balthasar Caminæus
I. V. D.

I N
R O
t

U T

Sic D

Si sol

Spero

ut D

Ergo

Accip

Exa

Ad Divum Rodolphum II.

INVICTISSIMUM
ROMANORVM IMPERATORVM

torem, semper Augustum; Bo-

hemiae ac Hungariae REGEM

&c. Dominum, Dn.

Clementissimum.

UT Deus in caelis libamina sacra clientum

Suscipit, & placide munera parva capit;

Sic Deus in terris, Cæsar, cui sidera vident,

Maxime nunc minimas suscipe primitias.

Si solet auxilium differre Iehova roganti

Sæpius, ut magè sit nostra probata fides,

Spero; nec addubito, quin post tot vota, salutem

Nunc, ò nunc parili Turatione feres.

ut Deus in caelis bonus est, precibusq; movetur;

Sic mea, Dive, tuâ spes requiescit ope.

Ergo tibi Patri patriæ, mundiq; Monarchæ,

Ingenij fœtus munera prima dico.

Accipe fronte piâ; nec parvula reijce Cæsar:

Interdum parvis gratia inesse solet.

Exaudi miseram: tristem solare Camenam:

Adfer & optatam, qui potes unus opem.

Sue Sac. Cæs. Mtis.

humillima Cliens,

Elisabetha Ioanna Vesttonia,

Virgo Angla.

A 2

Sacræ

SACRAE CAESARIAE ET
Hungariæ ac Bohemiæ Regiæ
Maestati &c, Dn. Dn. Cles
mentissimo.

*Sis precor, Abdias meus, invictissime Cæsar,
Magnus Alexander sis mihi, Cæsar eris.
Ille, suis dapibus centum servare Prophetas
Qui voluit, meriti præmia digna tulit :
Hic, quando exiguam paupercula filia dotem
Orat, in orantem multa talenta locat.
Cæsar ut Augustus sua largus præmia Musis
Auxerat, Augusto nomine nomen habet.
Sic Cæsar Rodulphe, meis alimenta benignus
Si Musis aperis, Cæsare digna facis.
Me tua, ne peream, Clementia provida servet ;
Equis vado insontem Gratia larga levet.
Exaudita tibi sint vota, precesque rogantis,
Quæ dat cum gemitu Virgo misella pio.
Sic erit in Turcas felix victoria, Cæsar :
Sic Augustus eris ; sic benedictus eris.*

INVICTISSIME AC PO
tentissime Cæsar, Dn. Dn.
Clementissime.

*Mæsta prius querulo quàm pleetra sonore resumam,
Nostra tibi fatur cartula, Cæsar ave.
Cæsar ave ; & tandem votivos accipe questûs,
Quos gemibunda dabit voce tremente Cliens.*

Nam

ET
ia
is.
:
t.
bet.
nus
.
O.
mam,
.
liens.
Nam

Nam nisi me exaudis Cæsar; nostrive misertus
Ni fueris; non spes amplius ulla subest.
ut facies terræ langvet, cum Pbæbus aquosis
Nubibus involvit se, radiosque tegit:
Sic miseræ, Divi nos vultu Cæsaris orbæ,
Angimur, & nigris opprimimur tenebris.
Tu mihi sol Cæsar: sed dum tua lumina condis,
Quæ mihi subsidij spesve salutis erit?
Respice nos humiles, invictæ Monarcha, ministras:
ut te respiciat, qui videt omne, Deus.
Quod si Kelleus tibi quid deliquerit olim,
Supplicium modico crimine, grande tulit.
Morte dedit pænas: mors illius eluat iram:
Interitu pænæ sat dedit ille suo!
Quæ tulimus, non sunt versu memoranda Maronis:
Restat adhuc gemitus pauperiesq; subest.
Pauperies aliquot fecit didicisse per annos
Esuriem, curas, frigora acerba, sitim.
Et quod adhuc inopes vitali vescimur aurâ,
Mutuat id nobis datque aliena manus.
Ergo fer auxilium miseris mitissime Cæsar:
Et nos semineces eripe ritè neci.
Ne tua se bonitas, ne lux tam clara recondat:
Sed mihi per tenebras luceat illa meas.
Paupertate gemo matris, quæ tristia natæ
Fata dolet: sævus crescit utrinq; dolor.
Dii melius nobis finirent morte dolores;
Quàm vita indignis sit superata malis.

Effice demeritorum sit portio tanta bonorum
Reddita, quæ miseris sufficienter alat.
Nunc bonitate tuâ tantum largire misellis.

Quo gravior fugiat sæva pericla fames.
Ne peream, ne desperem, ne mater inani
Spe frustrata neci præda petita cadat.

Quod Facies Cæsar; sic reddet fœnore multo,
Conferet & vitæ tempora sera, Deus.

Mitis ut es cunctis, ita sis cum virgo precatur
Orphana: Fac viduæ damna nociva levare

V E L.

Pertua sceptrâ Themis rogat, Augustissime Cæsar,
ut miseram miserâ cum genitrice juves.

Hactenus ingemino gravibus mea vota querelis:
Nosce tuâ nostras pro bonitate preces.

Sic Deus imperium plures firmabit in annos:
Sic ausûs facilis provehet ille tuos.

Tu modo, quod spondes, re præsta Cæsar: egenæ
Virginis instituas damna levare. Vale.

Suæ Sac. Cæs. Matis.
humillimè supplex.

Elisabetha Ioanna VVestonia
Orphana, suo & matris
mestissime nomine.

Illu

ILLVSTRISSIMO PRIN-
cipi ac Domino, Dn. Petro VVok à
Rosenberg &c. Dn. ac Me-
cœnati suo gratiosissi-
mo.

Inter minora sidera
Qualis resulget Cynthia,
Cum n̄ox laceſſit horridam
Morphei redux inſomnium :
Talis Dynaſtas emicas
Inter, jubar latè explicas
Virtute, Princeps inclute,
O P E T R E, flos virens roſæ !
Sacri efficace Numinis
Ardes amore ; litteris
Clemens faves : patronus es
Egentium inter divites.
Te liberalem in hoſpitem
Cum fratre jure dicerem :
Meo Parenti indulſeras
Poſſeſſiones liberas,
QVAS LIVOR immerentibus
Rabidis refrendens dentibus,
(ò ſara !) tollens, pauperes
Coëgit eſſe flebiles.
In rebus hiſ eſt innocens
CÆſAR : malus nocet, docens

AA

Noſtri

*Nostri fame æris: Numinis
Vindicta summi noveris!*

*Sed cum modò, illustrissime
Princeps, referri commodæ,
Pro liberali pectore,
Sat non queant tibi gratiæ:*

*Cum matre id unicum precor,
ut exigas feliciter
Annos tuos; & suaviter
Vivas Deo, prece gnaviter.
ut hoc solutus corpore
Pertoesus huius seculi,
Durante laudis adoret
Petas beatus sidera.*

Illustri ac generosissimo Heroi ac Dni
DN. S DENKONI ADEL-
berto Poppl de Lobcovitz, in Clum-
nitz & Gistebnitz, Sac. Cæs. Matis.
Consiliario ac S. R. Bohemiæ
Cancellario &c. Dn. suo
clementi ac be-
nigno.

*Fortè quid hoc, dices? quòd virgo carmina mittam,
O Lux Poppeliæ non moritura domus.
Ne mirere, rogo: Pietas hoc iussit, & imò
Quam colis assiduis pectore & ore, Themis.
Pauperis*

*Pauperis ergo manu clementi carmina sume
Virginis, & numeris perge favere meis.
Non ego vulgarem quaero mihi carmine plausum:
Non abs te posco munera larga mihi.
Ne miseram viduâ patiaris matre puellam
Quod queror, indigni mole perire mali.
Non iniuncta peto; causam modò respice nostram,
Dixeris insontes nos mala tanta pati.
Nec tibi maior erit virtus & gloria, quam si
Clementi miseras pro bonitate juves.
Iam dudum, nobis justissima Cæsaris aula
ut facit, auxilium sic quoq; ferre iubet.
Tu modò, Mecænas, sis nobis præstò, jubeq;
Pars de distractis dotur ut æqua bonis.
Sic tibi succedent feliciter omnia, perstat
Sic & consilijs Cæsaris aula tuis.*

Natalibus

ILLVSTRIS AC MAGNI-
fici Dn. Dn. Henrici de Pifnitz, Dn.
in Hertenberg & Schönbach, Sac.
Cæs. Matis. Consil. ac S. R. Bohe-
miæ Vicecancellarij, Dn. &
patroni sui colen-
dissimi.

*Tertia cum decimâ lux cælo prodit juli,
Quæ nomen celebrat, magne Patrone tuum:*

A S

Quid

Quid faciam? quæ vota novo nova carmine dicam?
Aut quæ de veteri vincula more feram?
Sum devincta tibi propter benefacta: resumsi
Ergo iterum ad resonas plectra lyramq; manus.
His mihi vincus eris: nec demam vincula collo,
Ni dicas; tutor, virgo, manebo tuus.
Sed, nisi fallor, ais: cesset dubitatio: cesset
Mæror; ego insontem, qui tueatur, ero.
Ergo Deum precibus, meritis superata, rogabo;
ut mihi, ut & multis te superesse sinat.
Quæ patriæ prosis, & rerum publica cures
Commoda, pupillos qua tueare tuos.
Non tibi livor edax noceat, qui plurima carpit;
Sed virtus saluum cum pietate tegat.
Hæc ego vota Deo toties solemnia solvam,
Natalis quoties lux reditura tibi.
Sæpius ut remeet felici sidere, supplex
Ante Deum sociâ cum genitrice precor.

Ad eundem

DE DIE S. ELISABETHÆ.

Lux hodierna mihi fulsit, Patrone; quid ergo
Hospitibus ponis fercula lauta meis?
Apposito solvis Baccho mea vincula, vincens
Eripis & mecum more parentis agis?
Iure tuo perago grates, tu munera promissis
Iure meo; imparibus das, capioq; modis.

O tibi

*O tibi natalis fausto tuus aethere currat
Sæpius, & faciat nos meminisse tui!
Sic pia sit conjux longos in Nestoris annos
Salva, diu valeant pignora cara tori.
His etiam, nostri memores quos nominis esse
Convivas video, fata benigna precor.
Si res arcta sinat, proprio nunc ære pararem
Pecula, magnificas construeremq; dapes.
Sed fortuna meam siquidem rapit invida sortem,
Alterius vivo (quàm patienter!) ope.
Hinc quia sum vinclis aliorum libera, per te;
Vinclata tibi meritis fio, patrone, tuis.*

Illustri Viro, Dn.
IOANNI BARVITIO, SAC.
Cæs. Matis. Consil. & Secreta-
rio intimo, Dn. ac patrono
suo colendissimo.

*Desine mirari, tua quòd, vir magne, frequentat
Limina, sed natæ matris egentis egens.
Nos pietas, nos sacra Themis, nos Phæbus, & ipsæ
Cum Mustis Charites dicere pauca jubent.
Tu modò, quod solitus, miseris ne despice; causam
Suscipiens, justam quam Themis ipsa docet.
Dispereat, perdatq; suum mala caussa patronum:
Et confusa malo probra rubore ferat.
At Deus est testis; mens æqui & conscia recti
Prodiderit, nos hæc non nisi justa queri.*

Accipe,

Accipe, pauca loquar; tibi plura negotia iussa
Cæsaris, in partes pectora fessa trabunt.
Orba parente gemo, genitrix viduata marito
Condolet: & bona sunt omnia demta simul.
Si causam quæris, nulla est: nec juris & æqui
Regula nos dicet criminis esse reas.
Livor, & usa suis vesana calumnia technis,
ut nocuere patri, sic nocuere mihi.
Singula non novit Cæsar: sub nomine quamvis
Cæsario passim multa patrata vides.
Vendita sunt vili pretio bona nostra; nec inde
Quæ jus promittit sunt alimenta mihi.
Ultra dimidium pretij si læditur insons,
Reddere lædentes jure tenentur idem.
Æra aliena quidem prætenedit callidus hostis:
Sed reliquum pretij qua mihi lege negat?
Nec satis est, bona defuncti rapuisse parentis:
Propria sed matris sunt bona rapta meæ.
Nescit idem Cæsar, cuius clementia nostram
Pectore condoluit commiserante vicem.
Et mandata dedit, ne justum injuria mergat;
Verum æquâ maneat lance cuique suum.
Est audita quidem justissima causa; sed illa
Iam latet effectu mortua penè suo.
O quoties precibus nos sollicitavimus aulam,
Quærentes causæ mite patrocinium!
Iudicium longas & adhuc differtur in horas?
Hoc queror, hoc mater nempè relicta dolet.

Interea

Interea miseras aded nos urget egestas,
(Parce precor lacrymis, vir generose, meis)
ut te suspensio cogamur adire pudore ;
Nostraq; praesidio credere jura tuo.
Nam te justitiae memorem, veriq; tenacem
Iamdudam nobis fama probata refert.
Ergo juva miseras ; & justam respice causam :
Sic tibi de superâ faverit arce Deus.
Caesaris ab leni mentem ; refer omnia : certum est,
Te mediante suum pondus habere preces.
Quod decet, & dignum est, de nostris portio detur,
Quæ nunc (nescio qui) detinet ille, bonis.
Aut ubi sit pretium dicat : cui solverit emtor :
Et Fiet, quod fas, quod pia jura volunt.
Caesaris efficiat placido clementia vultu,
Ne nos pauperies invidiosa necet.
Hæc res grata Deo est : homo idem pius expetit ; ecquis
Invideat, viduos cum tegat aula lares ?
Sin minus eveniet ; nisi nunc miseratio franget
Pectora ; ni dabitur, quod Deus ipse jubet ;
Nos lacrumas inter solatia nulla videntes,
Turbidula coget morte perire fames :
Sed qui justa probas, qui curas pauperis audis,
Incluta Barvitiae gloria, flosq; domus :
Deprecor auxilium fer justa rogantibus ; & te
Sic nuncquam poterit deseruisse Deus.

CRISTO.

CHRISTOPHORO ABEL-
vitz, Friderici, Comitis Palatini Rhe-
ni, Principis laudatiss. Confiliario
Secretiori, & ad RUDOL-
PHUM II. Rom. Im-
per. Legato.

Belvitiā solidis qui stirpem laudibus ornas,
Et qui de Christi nomine nomen habes,
Fortē tuam, & meritō, tenet admiratio mentem,
Carmina quōd mittam virgo legenda tibi.
Neu mirere nimis: Virtus conjungere soeuit
Absentes etiam, quos liquet esse bonos.
Namq; meas nuper rumor suggestit in aures,
Melpomenem nostram complacuisse tibi.
Teq; dolere meos, pietatis amore, dolores;
Quōd cum matre bonis sim spoliata meis.
Heu dolor! hæc subeunt quoties tam tristia mentē,
In lacrimas toties tota soluta feror.
Hinc certus grates tibi dicere Apollo paravit;
Qui petit, hæc ut ames mente favere mihi.
Paucula, si cupis, ut moduletur Pæris ultra,
Melpomene nobis nil nisi triste sonat.
Non mihi Terpsichores citharæ, non fistula restat
Euterpes: lessum nil lyra præter habet.
Nænia principium nostræ, finisque Camenæ:
Tales, non alios, dat mea Musa modos.
Melpomene caussas parit adspiratque labori:
Huius ego ò Tragicæ ducor alumna DEÆ.

Nam

L.
he-
io
m,
ntē,
at
Nam

Nam soleo tantum quando lenire dolorem;
Et gemere adversæ tela sinistra DEÆ.
Non spem subsidij magè, sed solamina luctus
Querens, do fatis consona verba meis.
Tum quia crebra fuit, sine fruge querella querenti
ut minimum de spe vix superesse putem.
Livor edax etenim prohibet mea vota tot & tot
Et steriles querulo reddit ab ore preces.
Surripuit nobis unà patremq; virumq;
Et rabie proprijs privat agente bonis.
Pauperiemque pati bona nostra tenente cægis
Hoste; cui levis est nostra ruina jocus.
Heu sumus insontes; fit magna injuria nobis.
Rumor id immenso prodit in orbe nefas.
Rumpere livor atrox sævissima belua: quam nec
Sacra Themis superat; nec timor ipse DEI.
At tu nostra dolens mansueto pectore fata,
Christophore, ô generis gloria rara tui:
Perpetuum ejà novo cumulare favorem
Perge: tuoque mihi consilio adfer opem
Sic ego Belvitie pro gentis grata salute
Assiduâ feriam sidera summa prece.

Illustri Viro Dno.
IOANNI BARVITIO, SAC.
Cæs. M. Confil.

Hanc tibi Barviti, mittit mea carta salutem,
Virginieque offert tristius artis opus.

Qvid

Quid cupiam, quæris? justam tibi dedico causam,
Et patrocinium quæro puella tuum.
Visa tibi sunt, lecta tibi, tibi cognita facta;
Exaudita tibi sunt mea vota quidem:
Non minus immeritam tamen anxia perfero sortem,
urgemur proprijs nempe carere bonis.
Sunt homines, quos Musa suo tibi tempore pandet,
Qui rapiunt nobis, quæ superesse vident.
Siccine cum viduis agitur? tu singula lustrans,
Mi DEVS, an poteris tot mala ferre dius.
Ah natam cum matre polo transpone: malorum
Sistat ut optatum mors properata modum.
Redde meum, qui iusta probas, justissime IHOVA,
Signaque justitiæ da manifesta tuæ.
Cæsaris & mentem sic ad mea vota gubernas,
ut placido tandem pectore præstet opem.
Quod dare constituit miseris citò conferat: ecce
Iam fracta ex nimio membra dolore cadunt.
Hoc ego quid mecum sic turbida conqueror? audi
Fautor, & incepti portus & aura mei.
Pisnitius tibi non deerit, qui nutrit egenos:
Et studet officio damna levare suo.
Tu modo sume animum: tuq; hoc fac Cæsari apertum
ut ferat optatam commiseratus opem.
Quis jubeat differre? dies labuntur & anni:
Post sua quis grates reddere fata potest?
Viva tibi vivo fundam modulamina, causam
Tu modo susceptam, qua potes arte, iuva.

Sed

Sed qu
E
M
DN
Cæs
va

undiq

Quid s

B

Iure q

Scribe

Sed ri

Attan

Me v

Ergo

Offici

*Sed quid ego addubito? mihi de te spero salutem;
Et dico: CÆSAR iudicat æqua. Vale.*

Magnifico ac Nobilissimo Viro,
DN. NICOLAO MAIO, SAC.
Cæs. Maiestatis Confiliario, ac sup.
vallis Ioachimicæ Præfecto, ami-
co sibi patris instar co-
lendo.

*Undique convolitent cum floride MAIE Poëtæ,
ut tibi gratentur carmine, voce, manu;*

*Quid sileat mea Musa, quid hæc lassata remittat
Brachia, quid carmen differat, anne rogas?*

*Iure quidem, cum me tibi non studiosior ullus
Aut magis observans debeat esse tui.*

Scribere deberem; votis & jungere vota:

Cum pateat celebri gloria laude tibi.

Sed timui virgo nimium procedere ripæ,

Et strepere incultâ, Maje diserte, lyrâ.

Attamen & medios inter caput exsero vates;

Laudibus & meritis exhilarata tuis.

Me virtutis amor vincit, timidumq; pudorem

Ponere, cum Phæbo casta Thaleia monet.

Ergo puellares reliquis intersero curis

Pieridas, liceat quod mihi pace tuâ.

Officiosa DEO pietas tibi pectore floret:

Unde DEO, unde tuis gratus es, unde meis.

B

Ingenium

Ingenium laudem & proprio splendore resulget
Illud, & exemplis clarius usq; nitet.
MAIVS es, ac ipso virtutem nomine complens,
Majores magno vincis honore tuos.
Est tua nota fides, rerum experientia, candor,
Qui fucum odisti, qui simulata negas.
Odisti ex animo falsos, tibi Hypocrita sordet;
Semper amans recti, non nisi iusta probas.
Hinc te Rodulphus Cæsar, mundi ille Monarcha,
Præfecit mineris, auriferisque vadis.
Munera magna dedit; titulis adjecit honorem:
Teq; à consilijs nunc jubet esse suis.
His igitur potiare bonis, frustra, fremente
Invidiâ, facti præmia digna cape.

Illustri Dno.

IOANNI BARVITIO, SAC.
Cæs. Matis Consil.

Pellegat hæc Cæsar Barviti scripta rogamus:
Optatum miseris auxiliumque ferat.
Sic DEVS in rebus tibi tristibus applicat aures,
Spondet & oranti prospera fata tibi.

EIDEM.

Dum queror, & tristem Barviti consecro causam.
Virgo tibi, precibus tu sinis esse locum.

Qvæ

Quæ loquor, ingenuâ sic accipis omnia mente,
ut credam gemitûs te doluisse meos.

Quin etiam sperata diu solatia dicis,
Et das pollicitis congrua signa tuis.

Cæsar enim, quod ais mea damna levabit abundè
Et faciet voti compos ut esse queam:

Iam mandata dedit Sternbergio, & inde dolentè
Discussis hilarem luctibus esse jubet.

Ergo quid est causæ quòd spe solata relinquor?
Cur differt alius quòd dare Cæsar avet?

Tu nisi Barviti mandatum Cæsaris urges,
Vix jussam (ò jubeas) experiemur opem.

Tolle moras, quicumque mihi differre videris
Cæsaris auxilij roborâ, tolle moras.

Si, mea quæ patitur genetrix tibi fata precarer,
Sentires quid sit, quàm grave, ferre famem!

IN HORTOS EIVS.

D E M.

Hortus odoratis hîc est cultissimus herbis,
Barviti celebris cultus & altus ope.

Hic quoties lassum te Cæsaris aula remittit,
A curis relevat pectora fessa tuis.

Hic locus est fidis etiam concessus amicis
Heic datur aspecta colloquioque frui.

Heic audire preces viduarum & vota clientum
Suscipere, innatâ pro bonitate soles.

B 2

Sic

Sic Domino servit decoratus floribus hortus ;
Atque horti Dominus gaudet honore sui.
Quid precer huic igitur ? ne vel Zephyritida Cauri
Aut Euri rabies impetuosâ fuget.
Sed vireat varijs ita fructibus ; atq; quotannis
Suppeditet Domino munera grata suo.
Quidve precer Domino ? me lædat livor in aula ;
Virtuti semper qui comes esse solet.

Ad nobiliss. ac ampliss.
Virum

P A U L L U M M E L I S S U M
Francum, Com. Pal. EQ. aur. Civ.
Rom. Electori Palatino à
Consilijs.

Qui tibi lecta patant à dulci nomina melle,
Melligenum callent quid meletema queat.
Sed bene si videas id nominis esse probarim
A morum & Musæ fertilitate tuæ,
Namq; lepore tuo me sic tibi jungis & unis,
Pegasiumq; pro sic melos ore canis ;
ut liquidos posuisse favos dulci ore puteris
Hac ratione mihi spero Melissus eris.
Carmina ducta facis mira dulcedine, lis est
Cum Nasone tibi, cum Cicerone tibi.

Romulo

Romulei certant hinc tecum carmine vates ;
Sed palmæ tribuit præmia, victa Chelys.
Vive Melisse diu, Dux vatum. gloria Phœbi :
Et benè, ne noceat vespa maligna, vale.
Non ego nunc referam viridi pro Daphnide grates ;
Non jam pro Lyricis, dive Poëta, favis.
Cum magè me fugiens numerosam effecerit ætas ;
Et flarit fatis lenior aura meis ;
Musag₃ erit vestro mea percita plenuis oestro,
Liba seram sacris, Phœbe diserte, tuis.
Interea hæc Franci censura probabit oloris,
Sed genio tanti conveniente viri.

A D E V N D E M.

Multa simul vidi quis divite pectore fundis
Carmina: Dii quantus Dii stupor ora quatit !
Iure ego sic mecum (quis enim tam digna loquentē
Arguat ?) a primis vatibus orsa, loquor.
Plaudite Phœbicolæ ; nam nascitur alter Apollo :
Aëtiacam superat Musa Melissa lyram.
Te quotquot restant, stupeant sua Numina Musæ :
O Vir ò ætheria digne cohorte celi.

Magnifico Viro,
D N. NICOLAO MAIO, S.
Cæs. M. Consil. &c. amico sibi
patris instar colendo.

B 3

Nominibus

Nominibus quod MAIE meis tot jungis honores,
Et mihi plus tribuis, quam tribuisse decet:
Aut tua Musa nimis nostras epigrammate laudes
Evehit, atque operas quid putat esse meas:
Quid referam? vel quod me denique munere gratam
Exhibeo meritis, dic mihi MAIE, tuis?
ut sim grata, quidem me virtus excitat in te,
Me Musæ; quod idem Phœbus Apollo probat.
Nescio quid faciam, cum vena negata mihi sit;
Musaque Castalio cassa liquore gemat.
Nec mirum rarumve mihi si fluminis expers
Aonij, æternum patria fata fleat.
Namque ea vix Clarijs libasset vota Deabus,
Et pede Pegasiam tum tetigisset humum.
Quum charum perimendo mihi patremq; Magistrūq;
Impediēre gradus invida fata meos.
Unde dolor tenero surgentem germine Musam
Reprimit, & pressam surgere ad alta vetat.
Iam tolerare vices fortunæ ictusq; protervos
Invidiæ, & legum jurgia docta pati!
Fata dies demunt inimica: renuncio Musis:
Quæ gaudent hilari sede: quiete vigent.
Sed dolor ambages fugat (ò sors invida cæptum
Sic inhibes? inhibe; meq; perire sine!
Limine desieram, sic hæreo limine: Musa
Principio, ut medio sic quoq; fine caret:
Nominis ergo tui qui dignè encomia inepto
Aggredier celebris carmine MAIE, queam?

Id

Id faciant Heliconæ quibus sua Pallas amœnum
Pandit, & Aonio dat latitare solo:
Vel quibus auricomus placato Numine Phœbus
Plena Novensilibus vitra propinat aquis:
Et quos fata beant, quibus almis congrua Musis
Tempora sunt vitæ prosperiora magis.
Ne tamen è multis taceam: tua nomina Psallet
(Parce precor) rudibus rusticæ avena notis.
Quò se Musa prius d. vertat ne scio: tot sunt
Membra tuæ laudis, materiæq; penus.
Seu genus extollam egregiam, proavosq; celebres
Ordine commemorem, sic glomeremq; decus?
Hæc aliena puto, peregrino parta labore:
Tu geminâ duplicas nobilitate genus.
Gazas, rura, greges, monimentum, tecta, tapetes,
Aut semeles puerum, Te Cerereave canam?
Digna parum sunt hæc, modicum mansura per ævum:
At virtute tuâ Maje superstes eris.
Nec Musas repetam, divinæ Pallados artes:
Phœbus enim propriâ te movet ipse lyra.
Immò nec ulla ferè, quâ virtus prominet, ars est,
Quæ non in nitido pectore germen habet.
Invasit penitas pietas sincera medullas:
Pectora possedit Candor, & ora lepor.
Hæ te virtutes dudum fecere beatum:
Cælo æquant, ipsis assimulantq; Diis.
Et tuus ut mensis (qui campis gramina reddit,
Et picturato flore colorat humum,)

*Totius apparet tempus preciosius anni:
Cui merito primum jure canatur epos.
Sic tu præ multis velut auro gemma nitescis,
Et velut astrifero stella corusca polo.
Tu verè MAJVS, sed Maji tempore transis:
Flora tibi flores spiret honora suos:
Quos neque frigoribus Boreas, neque seivius æstu
Torret; at æterno vertis honore rubent!
Cætera grandiloquis mandat mea Musa Poetis,
Grandia mi parvis sit tetigisse satis.
Sic vivas viridis tu semper Majus: & ingens
Casurum nullo tempore nomen habe.
Floridus & felix ita seros Majus in annos
Flore: grata animo sint rata vota tuo.*

Admodum Reverendo in
Christo Dno.
GEORGIO BARTHOLDO
à Breitenberg, Metrop. Eccl.
Pragensis Præposito &c.
Patrono suo colen-
do.

*Quòd pietatis opus præstas, quòd divite nostras
Munere lacrimulas pauperiemque levas,
Vir venerande, Deo & Musis charissime; grates
Innumeris mecum mater agit numeris.
Credo DEum per te sollatia ferre misellis:
Inter ut ærumnas experiamur opem.*

Ergo

Ergo p
C
Musio
M
Hinc
F
Tertio
I
O utin
P
Nam
C
Cæsa
u
Sic eg
I
Vive,
M
DN
t
Tu qu
I

Ergo palam patulum dicam tua facta per orbem:
Grataq; pro meritis carmina semper erunt.
Musicus insignis, patrium de Monte Philippus
Nomen habens, simili nos pietate fovet.
Hinc benefactoris primas sibi vendicat ille:
Pisnitius verò ceu Pater Alter, adest.
Tertius es nobis tu Vir venerande Patronus:
Dum fers pupillis auxiliator opem.
O utinam quartus succedat in ordine Cæsar!
Primus erit, reddet si bona adempta mihi.
Nam proprijs exempta bonis mea mater id unum
Optat: at d quod jus, curia curet idem!
Cæsaris ab tandem subeat miseratio mentem,
ut caussam excutiat, perspiciatq; meam.
Sic ego cum Musis, sic cum genitrice beatam
Dixero me: & pleno gaudia corde feram.
Vive, valeque DEO & Musis dignissime Præsul
Nosq; pijs precibus nosq; favore juva.

Ad Nobilis. & Excellentis.
DN. PHILIPPUM DE MON-
te Sac. Cæs. Maiestatis Capellæ
Magistrum, Musicum hoc
nostro seculo prin-
cipem.

Tu quoq; cui nomen de Monte Philippe, Camenis
Iure tuo nostris his celebrandus eris.

B 5

SUM

Ergo

Sum meritis devincta tuis; tibi debeo multa;
 Quod mecum genitrix grata fatetur item
Non sum solvendo; sed quas me dicere fas est
 Virginio grates carmine grata canam.
Inq; DEI laudem tua raræ munera mentis,
 Donec in hoc mundo sum, celebrabo chely.
Si reputem mecum modulamina dulcia vocum,
 Concentus suaves, tu mihi Phœbus eris.
Amphion relevas tu cantu Numinis itam:
 Orpheus tu lapides inmodò Acheronta moves.
Cæsaris hoc mecum Rodulphi tota fatetur
 Aula: nec hoc ipsum splendida Roma negat,
Gallia te celebrat; te tellus Itala laudat;
 Ingenijq; tui cantat Iberus opes.
Ergo DEI donum est ars Musica; desine Mome
 Hanc odisse; pia hâc vita carere nequit.
Illa suas animo vires studiosa ministrat,
 Mollis & à curis pectora fessa levat.
Erigit & firmat mæstos; solatia dicit:
 Et fallit longæ tædia longa viæ.
Musica quin etiam tranquillæ tempore pacis
 Occinit ad summos Numina sancta tholos.
Musica bellonæ rabiem, sævumq; furorem
 Frangit, & est hosti grata futura suo.
Musica fit duro suavis medicina labori:
 Hanc superum munus quò minus ergo negem?
Affectus ciet illa pios, ac aspera flectit
 Pectora; virtutem gignit, & alta vehit.

PAGE

Pace suos recreat cives: cervicibus arcet
Hostilem imbelli vimq; minasq; manu.
Hanc DEVS admittit sancti ad sacraria templi;
ut iusto in Psalmis possit honore coli.
Quid verbis opus est? conservat Musica sanos;
Dispellit morbos, firmat amicitias.
Mentis ad obsequium sensus deducit; & ipsam
Ad superos mentem voce sonante trahit.
Non tamen Harmoniam stolidam hic intellego talem.
Illecebris quæ sit perniciofa suis.
Sed quâ te Phœbus donat divine Philippe,
Quæ gravis ac Divûm munere sola venit.
Quæ rapit ex humili affectûs, & tollit olympo,
A vitijs animos quæ revocare potest.
His igitur gaude donis; totumq; per orbem
Cantari ut possis, magne Philippe, Vale.

NICOLA O MAIO S. C. M.
Consil. & Vallis Ioach. Præf.
sum, amico sibi patris in
star colendo.

Non equidem immeritò miraris candide MAIE;
Et mea jure tuo Musa vocatur iners,
Quòd raro calamos tractet, quòd tempore tanto
Torpeat; & scribat carmina nulla tibi.
Non torpore tamen, sed mœstis anxia curis
Illa latet; gemitu semi sepulta suo.

Pace

Aspice,

*Aspice, cum lumen Phœbi sit nube sub aëthum,
Quàm tristem tellus exhibeat faciem !
Cum regni RECTOR fatis agitur iniquis,
Quàm torquet populos anxia cura leves !
Quando tremiscentem sors desperata senatum
Angit, quæ cives sollicitudo premit ?
Quis vetet Aonias Phœbo lugente sorores
Suspensis citbaris squallidiora sequi ?
Cum mihi sis Phœbus, dic, cum te dira fatigat
Sors, cum te Stygiæ terreat umbra DEÆ,
Num tua suaviloquas spirabunt pectora Musas ?
Num poteris numeris applicuisse fides ?
Magnum opus, & labor est : nec curant mœsta Ca-
Nec luctu raptas dia poësis amat. (menæ :
Carmina tranquillo scribentem pectore quæritunt :
At verè Lyricum neglegit æger opus.
Hæc mihi caussa fuit, Musis hæc caussa rigoris :
Hæc vivam amotâ, vivet & ipsa chebis.
Tum demum calamos teretes, plectrumque reposcam,
Gaudiaq; erepto læta dolore canam.
Salve, vive, vale plures viridissimus annos
MAIVS : & hinc penetres CANDIDVS astra
senex.*

*Nobili ac Clarissimo viro,
DN. ERICO LYMBURCH,
I. u. D. Consil. Comitibus ab
Oldenburgk.*

Clare

Clare vir, & Themidos cultissimo cultor ERICE,

Vis nimis in laudes luxuriare meas?

Non ego, (quod fateor) tanto sum digna Cothurno,

Cum mea Calliope non nisi serpat humi.

Namque amor atque dolor dilecti funera fratris

Iusserunt querulis me memorare modis.

His ego non laudes, non vanos sector honores:

Sat mihi si CHRISTO sim proba, grata probis.

Talem nempe probant te candida carmina: Musam

Gaudeo mi tenuem displicuisse minus.

Perge fauere meo clarissime Ericelabori

VVestoniaeq; memor sis Precor. inde vale.

Ad eundem

Non ego Praxillam, Sappho; doctamq; Corinthanam

Carminibus dicar vincere posse meis.

Non ego docta tibi praeferrī Fulvia quæram,

Cum mea de aridulo venula fonte fluat.

O vtinam faciles æquaret Musa Morellas,

Surgeret ex Musis laus mihi digna meis.

Si tamen ingenio, si moribus, arte, poesi

Me faciles vates vincere forte putas:

Iudice te superem, sed te tutore vel vno

Invidiæ discam spernere, Ericè, mihas.

EPI.

Clare

Epitaphium.

Nobilissimo & erudito Iuueni,
IOANNI FRANCISCO VVE-
stonio, Anglo, Sororij amoris & ex-
tremi officij ergo conscriptum
4. Novemb. anno
1600.

Ad Lectorem.

Fortè quis hæc recubet, LECTOR, disquis in urnâ?
Hei tenero juvenem flore recondit humus!
Nomina participat FRANCISCUS, nomina IANUS,
Cognomen verè nobile VESTONIUS.
Miserat hunc olim longinquis ANGLIA Bojîs,
Ex puero ut fieret cultor, Apollo, tuis.
Ille quidem Musas, sed bis duo lustra colebat,
Assiduâ versans sedulitate Sophos.
Verum ubi florigeris, & vix, hæc attigit annis,
Clauferunt teneros tristia fata oculos!
Plangite vos mecum Veneres, vos Triga sororum!
Flete novem Musæ vester alumnus obiit.
unicus hic Patri natus fuit, unica cura:
Hoc uno fisa est unica fratre soror.
Orphana nempè soror, mater gemibunda relicta est:
Abrumpit Triadem, quæ fuit arcta Monas.

Hæc

Hæc quia fata volunt, geminas quæ lingua dolores,
Quæ poterit lacrimas explicuisse meas?
Munera sed frater tibi sume novissima amoris,
Quæ reddit bustis tristis ELISA soror.
Sicq; vale æternum, cælo germane receptus,
Dum socia celi per iuga matre sequar.

Nobilis: eruditi, ac Choro virtutum
ornati juvenis, Dn.

GU L I E L M I F R I D E R I C I A
Pisnitz, lucem recolentis na-
talitiam, genio gratu-
latur.

Impiger Aonidum tibi grator alumne Dearum
Versiculis, libro carminis apte cani:
Læta quod effulsit lux quæ te prima sub axem
Protulit: hic usus nominis unde tibi est.
Tū primogenitus matriq; patriq; tulisti
Luce tuâ, geruli gaudia prima tori.
Maximus ut natu fratrum es, sic moribus omnes,
Virtute, ingenio, sic pietate præis,
Verum ego non tua solius natalia canto
Festa, quod & tecum sit Dea nota duplex.
Quæris & addubitas? aut divas nosse laboras?
Nonne facit pietas cum gravitate Duas?

Digna

Hæc

Dignaviro facies juvenilibus additur annis :
Et sine laudat à nil pietate geris.
Respicis ad magni laudes genitoris avitas,
Incedens patrio stirps generosa gradu.
Candor inest illi, matrisq; premate major,
Velle tuum tantum est quos imiteris habes.
Quid moneo? innatus te candor dirigit ipse :
De patrioq; nequis flectere calle pedem.
Ergo age virtutis succresce propago, domusq;
Patricie, Pyleos enumerando dies
Inter totque dies, non curis canus & annis
Siderij properes serus ad astra poli.
Quod mallem, mea Musa negat, nam vincula tantum
Ista tibi tenui dat, Friderice, metro.
Tu fac, ut ad me iterum pede vel tria verba recurrat,
Sic mihi non vincetus, nec mihi victus eris.

Ad Doctiss & Nobilissimum
Juvenem

GuLIELMum FRIDERI
de Pisnitz, in die Elisa-
bethæ.

Munera, Vota, Chelyn, pulcro de flore corollas,
Quæ iridis, peragis, tendis & ipse dicas :
Cuncta velut solidâ compagine nexa jugârunt
Pectora, quæ gratâ mente manuq; fero.

Munera

Munera muneribus pensabo, carmine carmen,
Digna pio votis pectore vota dabo.
Pro blandis reddo benolentiaserta corollis,
Hoc fueronodis more soluta tuis.
Firma tamen restent inter nos fœdera amoris
Quis Charitum Genio juncta caterva sumus.
Ipsa tibi semper devota tuisque manebo,
Si mihi constanter tu Gulielme faves.
Sicque diu salve, salvi sint oro parentes,
Et soror, & frater, totaq; salva domus.

Clarissimo viro, Dn.
MATTHAEO DENICHIO
Navvensi Medico peritissimo &
civi novæ urbis Pragensis,
amico suo singu-
lari.

Et tu Phœbeis Epidaurius alter in herbis
Dextera cui leti claudere docta viam.
Quæ mihi Carolidæ mittebas carmina vatis,
Dulcisonâ Phœbi demodulata lyrâ;
ut vidi, gratâ, qua debeo, mente recepi:
Inq; suum posui, quo iubet ordo locum.
Post dictas igitur nostro illi nomine grates,
Obtineat veniam tarda Thaleua suam.
Lentior illa fuit grates referendo merenti,
Quas omni nequeat reddere nixa operâ.
Non fortuna meam me fecit; at invida Musis
Otia frigidulis esse noverca negat.

C

At mea

At mea fata tibi num sint obscura rogarem,
Qvi noster, nostro quique dolore doles?
Scis equidem, nec vana loquor: mea carmina lan-
Et desit, mihi qui debeat esse nitor. (guent:
Hæc tamen, ut credo tibi, carmina redde Poëtæ:
Prosperaq; auspicijs fata precare meis.

Nobilis. & docto adolescenti Dn.
HENRICO DE PISNITZ.

Nescit adhuc metrico subsistere Musa labori,
Ne tibi sit nostro carmine nuña salus.
Nam tibi quæ regnat mansueto in pectore virtus,
Non facile immemorem quem sinit esse tui.
Insitæ enim quadam virtutis imagine fulges:
Omne nec vano nomina Patris habes.
Nunc igitur dotes Musarum fructibus orna:
Sit natura tibi cultior artis ope.
Nempè Novenales maneant tua cura sorores:
Sic te Phœbus amet; sit tibi præstò Charis.
Iuridicis Clarias studijs conjunge puellas:
Sic magnæ facies utilitatu opus.
Nulla dies abeat, quæ non toleranda laboris
Signa habeat: ponet Pieris illa tibi.
Omnia si pereant, solas superesse Camenas
Novimus: hinc superis gratus es, indè DEO.
Ergo sola tibi sint Musæ, Henrice, voluptas:
Daique tuis faciant te superesse diu.
Sed quid agas, moneo te pauca referre vicissim:
Ecquid agunt fratres? quid pater? anne valent?
Sym-

VV

S

In te

Non e

Tu spe

Per fr

Præte

Immo

Perpe

Ergo a

GV

Quile

Symbolum

VVESTONIAE AVCTORIS. SPES MEA CHRISTVS.

In te CHRISTE mihi spes derivata recumbit;
Sed ne confundant me mala tot, fer opem.
Non ego imaginibus confido, nec arte, Salutis
Quam spero certi, nil mihi praestat homo.
Tu spes, tu mea res, meus es, per saxa per ignes:
Si vis esse, Sequar per freta, si esse iubes
Per freta freta tuo munimine vinco: petitis
Certa, vel heic, summâ vel patris aede tuis.

IDEM.

Præteritæ dolor est vitæ revocare tumultus:
Præsentis vanum est conditione frui.
Immo futurorum spes calvitur anxia; passim
illecebris plenum est quidquid hic orbis habet.
Perpetis at restat spes unica Christus asyli,
Sperantem quæ non destituisse potest.
Ergo ad te, IESV dulcissime, fortis anhelem,
SPES MEA sit CHRISTVS qui via, vita, salus.

GVLIELMO FRIDERICO
â Pilsnitz, nobili juveni.

Guilelme salve nobilis

G 27

Patris

Patri salutem dic tuo
Et fratribus simul tuis,
Valere quos tecum velim.

Novensilum colas chorum,
Et nesciam matris DEam,
Perita quæ te carmine
Docebit horas fallere.

Plectrum manu frequens tuâ.
Et ungue sint motæ fides
Et ora melleus lepor
Decebit, & nervos decor.

His tempus ordines tuum:
His turpe frænes otium:
Elimines ignaviam,
Cui nec locus præ foribus.

Molestiarum molibus
Neu parce, nec laboribus:
Labore dum genus probo
Gaude imminente præmio.

Indulseris si lusibus,
Iocisq; curta temporum
Momenta donaris, merum
Te pœnitere manserit.

Ergò licet vel lineæ
Paucæ tuo restent lucro;
Sollertiæ tamen tuæ
Vestigium locaverint:

Seu quæris herbas florido

Cui

Cuban
Seu for
Florum

Aviur
Aut co
Est in

Parat
Idem
Ext en

Labor
Musa
Rei w

Quo
Inusi
Tibi

Me
His i
Mon

Guil
Sinc
Inte
Valo

Cubans humi rosario:
Seu fortè vires arguis
Florum, vel ipsos colligis.

Sic, si implicaturum amites,
Avium fatigent agmina;
Aut comminus canum in feras,
Est imperus per devium.

Quin & daturus Martii
Parata telis brachia,
Idem tibi negotium
Exterminabit otium.

Quidquid capis, quidquid cupis
Laboriosas cogita
Musas; capis sic, quod cupis:
Rei usq; sunt accommodæ.

Guilherme parce, te rogo,
Quod impolita carminis
Inusitati mi hætenus,
Tibi loquatur Pieris.

Apollo jussit illice
Me thyrsos, amabiles palam,
His incitare versibus,
Monent Sorores & Charis.

Audaciæ culpam meæ
Guilherme, lenis accipe:
Sincera quod mens obtulit,
Interpretère mitius.
Vale, vale: valeat pater

Carissimus : felix domum
medi tuis cum fratribus :
Hoc cœlitus faxit DEVS.

MARGARETHAE BALD-
hofeniæ , Bernhardi Mars
tini à Baldhofen , Cont.
Sag. filix, novæ
Nuptæ.

MARGARI, quæ monitu fratris tibi carmina promã?
In talamumq; tuum vota precesq; feram. &
Non alia, ac ipsi mihi quondam Sponsa rogarem.
A Phœbo & Musis, vota precesq; dabo.
Aspiciis in eas igitur sacra fœdera lætis:
Et sponsum verè quo redamaris, ames.
Omnibus officiis illum lenire memento;
Si vitare velis iurgia crebra tori.
Est mandare viri, nostrum est parère; maritus
Est caput, ac ipsi mutua membra sumus.
Ut caput est Christus, quem sancta Ecclesia adorat;
Sic Sponsus Sponsæ fit caput & Dominus.
Tu sis gemma VIRO preciosa: quòd omine nomen
Ipsum Margaridos prosperiore notat.
Sit pietas reëtrix morum vitæq; sine illa
Vix formosa suo est Sponsa futura VIRO.
Margaris artifici quæ dextrâ includitur auro,
Gestanti semper gratior esse solet :

Sic

Sic ubi

Et spe

Sola

Sed qu

Vive,

Sint p

A

DN

am

Quic

Nam

Quo

Acc

Sic ubi virgineos mores, vitamq; gubernent
Et pudor, & pietas, gratia maior inest.
Et species fallax, ac ornamenta caduci
Corporis: hei! subito, ceu levis umbra, cadunt.
Sola manet nobis virtutis fama, superstes:
Hæc sponfos ornat dos pretiosa satis.
Sed quid opus monitis: ignosce puella, puellæ:
Quæ restant thalamo cætera, dicet amor.
Vive, vale, Sponsoq; tuo sis gemma, vicissim
Ille tibi firmam præstet amore fidem.
Sint procul à vobis rixæ, concordia lectum
Servet: & amborum sint rata vota, precor.

Ad Nobilem & literatum virum
DN. IOANNEM HAMMONIVM,
amicum suum colendum, & Magi-
strum olim studiosissimum,
gratiarum actionis
ergò.

Quid malè grata files? reminiscere Musa Magistræ;
Versibus ille tuis ritè legendus erit.
Nam nisi Pegasides te deduxisset ad undas,
Ipsa nec in cartis tu legerère tuis.
Quod me docta ferunt tenuem suffragia Vatum.
Quod populus Musas quid putat esse meas
Acceptum superis & fido deinde Magistro
Id fero: sit Superis gratia, sitq; tibi.

*Si quis erit, nostras qui fortè probârit opellas,
De merita crescent nomina laude tibi.
Forfitan & cum me fatalis ceperit urna,
Tuq; soli fueris conditus in gremio,
Si, qui dicat, erit, teneras heic VESTONIS artes
Liquit inexstinctum mortua in nemo synon:
Dixerit hoc etiam; tidicit prius illa Magistro
Hammonio, foliis exstat & unde suis.
Interea hæcce legas placidus: meliora dedissem;
Otia si Musis integriora forent.*

*Nobili & Clarissimo viro,
G. MARTINIO A BALDHOFEN,
Silesio, amico suo
singulari.*

*Sunt indigna quidem celebri mæa carmina prelo,
Carmina turbatæ pleraq; mentis opus:
Sed quia commendas, & vatibus illa probantur,
Iudice te obscuro profilière loco,
BALDHOFI, curæ velut esse videmus, habebis:
Ne sit quod nocuus felle profanet acor.
Nam gemitus inter RVDOLPHI CÆSARIS oro
Auxilium, & vitæ fata sinistra gemo.
Det veniam lector; bilemq; coerceat hostis;
Dummodo versiculus vera revolvo meis.
Audiat innocuæ CÆSAR suspiria Nymphæ;
Et dicat; votis VESTONI digna feras.*

Cl-

Clarissimo viro,

DN. GEORGIO CAROLIDAE
à Carlspergà Civi Prag; artium libe-
beralium Magistro, & Poetæ
Laureato.

Carmina natalem nati celebrantia CHRISTI,

Quæ mihi sunt celeri deproperata manu,

Fœminio cernis titubare profecta cerebro:

At minus admiror consonuisse tibi.

Nam veluti numeris, si quæ concinnior oda est,

Quæ nusquam raucis errat inepta sonis;

Aure queat melius concepta placere vacivâ.

Et si hanc Pastoris vox moduletur iners:

Non aliter multis cantandi encomia CHRISTI

Arbitror in numeris posse placere meis.

Hæc mihi Musarum sit meta, laborq; mearum,

Vt dilecta DEO sim, sed amica bonis.

Vatibus haut cupiam dici prælata vetustis:

De celebri nullum sede movere velim.

Floreat à primo postremum Lesbia in ævum;

Ac Heliconiades quæ coluere DEAs.

Posterior sit adhuc ætas hac nostra priori

Par numerum numero, sed bonitate prior.

Tu verò teneram qui tanto carmine Musam

Exornas; & me vatibus annumeras:

Deprecor, à summo deposcas Numine nobis:

Vt sim, qualis erat Lesbia; sorte puto.

C S

Sic

Sic tibi carminibus gratabor culte Georgi:
Altera sic pro me Lesbia, vota seram.

G. MARTINIO A BALDHOFEN,
Siles. amico suo
singulari.

Quis mihi Latous calamos componet inertes,
Compositamq; dabit tangere posse lyram?
Ut tibi pro meritis dicam modulamine grates;
Et tribuam Musis præmia digna tuis?
Ausus es alti sono me vatem dicere cantus;
Et Parnassacis associare choris!
Me celebras equidem, propria sed laude cornuscas
Ipse magis fidibus dignior ipse cani.
Nam, qui sis, produunt tua te mihi carmina; legi
Et flexere animum, ceu voluere, me unum
Res & Verba fluunt leni tibi tramite; possis
Nasonem numeris ut superare tuis.
At mihi vix primis tetigi quæ virgo labellis
Aonidum fontes, non ea vena salit.
Nec fortuna favet; nec restant ocia Musis
Quæ fuerant quondam liberiora, meis.
Ergo quod in versu vel pecco, vel ordine currant
Singula confuso, dic age; VIRGO DEDIT.
Tempus et it, quo me speculabitur æthere Phœbus,
Et curas perimet, tunc meliora dabo.
Intere à tibi fata precer felicia; teq;
VESTONLÆ ut dares usq; favendo rogem.
IOAN-

IO

Si tibi

Gaude

Famæ

Et tibi

Quæ ta

Haften

Da ven

Hexam

Su

Qu

Si tibi

IOANNI HELLERO I. V. D.

Salutem.

Si tibi nostra placent vornantis carmina Musæ

Heilere, Hesperiae cultor, amorq; DEÆ,

Gaudeo. nam doctis laus est placuisse Poëtis :

Quos inter forsitan tu numerandus eris

Famae præco meæ es ; teneramque favore poësis

Virginis (ut versu ludis & ore) iuvas !

Et tibi, quem spondet, Phœbus concedat honorem :

Et grates pariter Musicus ordo canat.

Quæ tamen Hexametri sint leges carminis, Anglana

Addoreas. nam te disco docente lubens.

Hactenus est pedibus senis nec pluribus usa

Musa : novi si quid, dic mihi, Phœbus habet ?

Da veniam, quæro tantum, non carpo poëma :

Sed cupio monitis doctior esse tuis.

Hexametrum pedibus carmen sex constat : at abs te

Sunt septem positi. quâ ratione ? dace !

EPIGRAMMA,

Quo rogatur IOANNES LEO,

ut Carmina Natalitia typis

tradi curet.

Si tibi sunt Musæ, si sunt tibi carmina curæ

IANE, vide mea quid te mihi Musa velit.

Sunt

Sunt mihi de Christi nascentis carmina cunis
Conditā perpetuis subycienda typis.

Hæc curæ committo tuæ: tu prospice sollers,
Qua des Chalcographo; sint quoq; digna legi.
Si quid inest duri; tua sit detergere mendas
Res magè: sic crescet Musa pusilla mihi.

Dnæ. ELISABETHAE IO-
annæ VVestoniæ, Virgini An-
glæ, &c.

IOANNES HELLERUS
I. U. D. Salutem.

Scripsisti; memoro saltim: tua pectora tango:
Dispeream si non te pia Pallas amem.
Docto etenim expandas cum cernua pectora plausu,
Non moror in similes me variare jocos,
Versus, enumeroq; pedes in carmine certos
Quolibet, & socio pectora, verba, fidem.
Deciderat cælo aë Vulcanus garrulus: ille
Illicita assumpsit munia fortè pedum.
Somnio, & intueor baculo VVestonidem euntem:
Obstupeo jolitas pluripedem ire vias.
Ista Prosodiaci nova sint præludia Phœbi,
Sic mea septenos Musa imitata choros.
Error uterque placet, placet & correctio Grajæ:
Dispeream, si non te pia Graja colam.

Dispe

Disper

Sed qu

Te lov

A I

Quæ se

Seria qu

ut pate

Interea

Esto;

Somnia

Hexam

Error i

Qu

Dispercam, si non optem ut tua iurgia cessent;

Et redeant justo pristina iura foro.

Sed quando hoc fiet (fiat quod plurimus opto

VVestonidi, & bene vota do) tempus erit.

Te Iova, te Cæsar, te cæli & Numina terre

Te sic Helleni &c.

Responsio

AD IOANNEM HELLE-

RUM I. U. D.

Quæ scripsi, memoro : tetigi tua carmina limâ:

Dispercam fuerit si mihi Musa jocus.

Seria quæ dico, tu dicis carmine plausum :

Mens mea nil præter, quam probat ore, probat.

ut patet, Hexameter pede versus abundat: & Hoc

Vatè quod à docto quæro puella rudis. (est,

Interea mihi Vulcanum de sidere lapsum,

Et minuisse pedem, Musa jocosâ refert.

Esto; tuæ velet Vulcanus crimina culpæ:

At quid VVestonidi pes nocuisse potest?

Somnia sunt fateor, quæ narras. Morpheâ culpas?

Num baculo hic metricos scit numerare pedes?

Hexameter nescit senos excedere gressûs:

Pluripedes Vates ne mea Pallas amet!

Error inest versu? placeat me quærere: quæro;

Quod Phœbi cupiat te monuisse Comæ.

Parce

Parce, precor, si pecco rudis: fus sive Minervam
Eruat: Optavi discere; parce rudi.
Cætera, quæ varijs mihi sunt promissa loquelis
Alterius, rata sint, irrita dicta diu.
Et tu subsidio causæ, meditare salutem:
Me gratam officijs senseris esse tuis.
Sed mora jera nocet: bis dos, nisi munera tardas:
I mora môra! agiles tu tamen adde manus.
Denique pro misso grates tibi carmine reddam:
Patrono nisi paucula: plura brevis.

In Symbolum.

BALTHAS. EXNERI SILE.
P. L. Spero Meliora.

Qui meliora sibi ruituro sperat in orbe,
Errat, & optatis gaudia nuda feret.
Sola mihi spes est vitæ celestis: in illâ
His quæ speramus, fert potiora Deus.
Munde Vale, non heic Spero Meliora: sequuntur
Spem præter quovis deteriora die.
Sed Spero meliora tamen, cum venerit ille
In cuius sita sunt tempora nostra manu.
Non ego despero, sed de spe certa fideq;
Præstolor reditum Christe benigne tuum.
Rumpe moras, & ades, nos meta suprema resolvat,
His qua terrenis des meliora bonis.

Sis

Sic Spe
E

Quid Sp
A

Mundu

Si v

Cælum

C

Spes est

S

Zoile, q

C

Nempè

C

Danda

S

Bis mil

F

Sic Spero meliora, pie quod regula vitæ
Exneria in luctu me meminisse facit.

Aliud, in eandem.

Quid Speras meliora? quid est extrema quod inter
Auxilium frustra consiliumq; petis?
Mundus ad occasum properat, mox omnia finem,
Si videas Fastos, sunt habitura suum.
Cælum igitur meditans quod spero perennia vitæ
Commoda, fit, mundus quod Meliora negat.
Spes est, si ridens meliora minatur Olympus,
Sperantem nescit deseruisse DEUS.

In Zoilum.

Zoile, quid laceras rabido mea carmina dente?
Quid miserum quovis acrius ense feris?
Nempè parum esse putas mea verba poetica! quod sint
Comta minus fucō, quod speciosa minus.
Danda mihi venia est, si carmina rauca puellæ
Sint minus ad nasum grata futura tuum.
Bis mihi lustra duo currunt: ætatis in ipsa
Flore dolor, curæ me, lacrimæque premunt.

utque

Sis

utq³ mibi simplex vita est, ita simplice cultu
Gaudeo: nil fuci, livor inique, vides.
Quod Latij desit sermonis gratia, noli
Propterea gemitus spernere turpe meos.
Scripsimus hæc curas inter, lacrumasq³; fatetur
Id gemitu mecum turba Novena suo.
Tempus erit forsan quo istis meliora sequentur.
Has nunc primitias consule, queso, boni.

FINIS.



ELISA-

Inches

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8

Centimetres

KODAK Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2000

Kodak

LICENSED PRODUCT

3/Color Black

Blue

Cyan


Green

Yellow

Red

Magenta

White



IN
 RO
 t
 ut
 Sic D
 Si sol
 Spero
 ut D
 Ergo
 Accip
 Exam
 aui,
 sse decem.
 r sus
 fauis.
 ant
 a, Anyte.
 uentem,
 t & a.
 ænis
 inæ
 ua.
 S
 S
 S

